

Ut itaque nulla prorsus invincibilis ignorantia DEi locum in homine habere possit, sed ea, si quæ datur, vel supina sit, vel affectata, qualis est Atheorum, non tam ignorantium, quam perverfè malitioseque negantium existentiam DEi, & quicquid inest ipsis naturalis notitiæ DEi, suffocare, ex animo delere, evellere & eradicare allaborantium. Quanta verò malitia & improbitas est, hoc hominibus accensum à DEo lumen extinguere, hanc mentibus hominum implantatam notitiam extirpare conari? Optimè hanc in rem *PULFENDORFIUS* l. c. *Cap. IV. §. 2.* Cum generis humani, inquit, salutem ea persuasione (de existentia DEi Creatoris, Conservatoris ac supremi Legislatoris) contineri hætenus creditum sit, ostendendum ipsi (Atheo) fuerit, generi humano per atheismum melius consuli, quam retento sano cultu Numinis. Quod cum fieri nullo modo queat, omnium eorum, qui isthanc convellere quocumque modo aggrediuntur, impietas maximè est detestanda, & gravissimis pœnis coercenda. Conf. *Ejusd. J. N. & G. Lib. III. Cap. IV. §. 4.* Est igitur Atheismus jam in se ipso gravissimum peccatum, quia tam apertè in Naturâ manifestatam DEi existentiam negat, omnemque hinc religionem tollit. Ex adverso Religio fons est omnis pietatis atque sinceræ probitatis vitæ, Religionis autem fundamentum existentia & providentia DEi est. Sublato igitur primo fundamento, & obstructo fonte pietatis, quæ superesse pietas aut expectari potest? *Quomodo, Salvator sic Matth. XII. 34. 35.* Pharisæos alloquitur, *potestis bona loqui, cum mali sitis? nam ex abundantia cordis os loquitur. Bonus homo ex bono thesauro cordis emittit bona: & malus homo ex malo thesauro emittit mala.* Quæ licet de sermonibus improbis in specie proximèque dicta sint, non tamen possunt non generatim intelligi de omni vitæ actionumque improbitate, ob similitudinis rationem. Ad dantur loca *Matth. VII. 16. 17. 18.* & *Luc. VI. 44. 45.* Quanquam enim hæc proximè & immediatè de fructibus doctrinæ loquantur, collato tamen *Matth. VII. 21.* per consequentiam de fructibus vitæ intelligi possunt, siquidem ex impia doctrinâ directè & per se impia vita fluit. Atheorum autem sententia & do-

E

ctrina